



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAEPHILIPPINIS IN INSULIS«OUR LADY OF MT. CARMEL»
IMAGO QUAE IN PAROECIALI BASILICA

MANILENSI SANCTI SEBASTIANI SERVATUR, SACRO DIADEMATE CORONATUR Ad perpetuam rei memoriam. –
Philippinis in Insulis magno sane cum gaudio Beatam Virginem valde coli percipimus, quae autem res ad fidem confirmandam multum iuvat atque ad catholicam actionem provehendam. Libentes igitur et volentes Venerabilis Fratris Nostri Iacobi S. R. E. Cardinalis Sin, Archiepiscopi Manilensis, postulatis obveniendum esse duximus, instanter id quoque ibidem fidelibus poscentibus, qui efflagitavit ut antiquum hoc signum, quod ibidem incolae «Our Lady of Mt. Carmel» appellant, quodque in basilica paroeciali Manilensi Sancti Sebastiani veneratur, nomine Nostro et auctoritate convenienti diademate coronaretur. Itaque omnino comprobatis its quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum statuit, factis a nobis facultatibus, committimus Venerabili Fratri Nostro quem supra memoravimus imaginis illius coronandae munus Nostro nomine, vel ei quem ipse legaverit, ad liturgicas normas. Ceterum Simulacrum hoc scimus istuc esse comportatum, veluti fidei invectae documentum et auspicium. Id quoque demonstrat Virginem Mariam fere iam ab incunabulis Philippinos fideles coepisse tueri, quae provida Mater in futurum tempus procul dubio inceptum pergit opus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII mensis Maii, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio decimo.* ANGELUS SODANO, *archiep.*

Prosecretarius Status © Copyright 1991 - Libreria Editrice Vaticana
